

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Lvdovici Venegas ... Mariale beatissimae virginis variis  
conceptibus moralibus illustratum**

**Venegas, Luis**

**Friburgi Brisgoiae, 1624**

Sermo tertius

[urn:nbn:de:bsz:31-160454](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160454)

id effectū est, vt peccatores animad-  
vertant, suorum peccatorum purifi-  
cationem non segniter & vna vel  
altera die tractandum fore, sed longo  
temporis spatio sapius repetenda, vt  
tanquam Naaman Cyrus, à suorum  
scelerū lepra sapius mundetur. Qua-  
re Mater & Filius tam solerti curā Moy-  
si leges ad vnguem obseruant? Non  
ob aliud nisi vt nos Euangelii leges  
seruemus, quæ in præstantia ita an-  
tiquas excellunt, sicut lux tene-  
bras superat. Quare tandem Bea-  
tissima Virgo dulcissimum IESVM  
in templum infert? vt nos nun-  
quam sine nostro Salvatore tem-  
plum ingrediamur. Perpendite quæ-  
so diligenter, quomodo Maria san-  
ctissima puerum Iesum in brachia  
magni sacerdotis Simeonis reponat,  
ipse verò Patri Æterno pro peccato-  
ribus offerat, vt ex hoc addiscamus,  
quâ ratione sacerdotū patrociniū v-  
tendum nobis sit, præcipuè in Sacro-  
Sancto sacrificio Missæ, vbi dulcissi-  
mus Iesus pro nostra reconciliatione  
Patri Æterno immolatur; ab ipso  
postulandum est, vt pro nobis Chri-  
stum offerat, sine cuius meritis nul-  
lus coram Diuina Majestate compa-  
rere potest. Et dum sacerdos pro te  
orat, ex imo pectore suspiria & ge-  
mitus ac lachrymas effundas, id e-  
nim turtures hodiè in sacrificium  
oblati, manifestant, quia isti loco  
musicæ ac suauissimi concentus,  
quem aliæ aues excitare solent, ge-

munt ac miserè conqueruntur. Ex  
sancto Simeone iustitiam & sancti-  
tatem depromite, & cum ipso imen-  
sas ac debitas gratias Deo rependite;  
Quia misericorditer voluit, vt tali  
tempore nasceremur, quo non solum  
nostris brachiis puerum Iesum defer-  
re possemus, sed etiam ore sumere, &  
visceribus gestare, cum per sacram  
communione ex manibus sacerdo-  
tis accipimus. Quod si Poëta fueris,  
& carmina componere didiceris, in  
honorem nostri Saluatoris ad imita-  
tionem sancti Simeonis proferas.  
*Nunc dimittis seruum tuum Domine,  
secundum verbum tuum in pace;* vt sic  
vester intellectus Diuino Spiritu il-  
lustrat<sup>9</sup>, in hac vita Deum per viam  
fidem agnoscat, & in alia per visio-  
nem intueatur, quam mihi & vobis  
præstare dignetur Iesus Christus.  
Amen.



### Sermo Tertius.

#### PRO SALVTATIONE Angelica.



QVEM AD MODVM illi  
qui vela ventis dare vo-  
lunt ac maria nauigare,  
priusquam sua vela ex-  
plicant & euoluant, cæ-  
leste auxilium implorant, vt prospe-  
ct

1036

roac secundo vento ad destinatum portū perueniant. Ita similiter cūm immensum pelagus ac mare profundissimum laudum ac prerogatiuarum Beatiffi, Virginis hodiernā purificationis die aggredi velimus, antequam lingue & ingeniorū vela expandamus, nostrarum virium imbecillitatem fatentes, corda nostra coram Deo humiliter dejiciamus, vt diuine gratie ac sapientie lux nobis illuceat. Quis enim iustē de Deo sine illius adiutorio loqui poterit? aut quis Dei, aut eius sanctissimæ Matris excellentias dignē enarrare valebit, nisi in tam longa nauigatione, & immenso laudū pelago suauissima Spiritus Diuini aura perflēt? Hanc Mariæ sanctissimæ interuentu postulemus Dicendo Aue Maria.

*Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ.*

*Luc. 2. cap.*

**I**n præfenti celebritate, chariffimi filii, cūm Beatissima Virgo suo filio comitata templum Ierusalem ingressa est, Summus præpotensque Dominus suum verbum impleuit, quod per Aggeum Prophetam suo populo prædixerat, templum nempe per Esdrā & alius socios reedificatum, excellentiā, præstantiā & maiestate templum à Salomone extructum, & per Nabu-

chodonosor deuastatū, lōgo interuallo superaturum esse. Quod vt clariū intelligatur, præsupponendum est tanquam certum, quōd templum Salomonis, aliud ab Esdra & Principe Zorobabel extructum, postquam ex captiuitate Babylonis redierunt, in multis excelluerit; Quia, etiāsi ad solas templi Salomonis diuitias, & ad alterius paupertatem oculos conuertamus, ex hoc euidenter constare poterit, maiestas & excellentia primī, quā secundum, excellebat: De hoc enim templo à Zorobabel erecto dicit scriptura, ex impolito lapide extructū fuisse. *Erat de lapide impolito Esd. 5.* Salomonis verò templum ex lapidibus perpolitis, magni pretii & æstimationis, & auro coopertis ædificatum est. *Nihilq̄, erat in templo quod nō auro tegetetur. 3. Reg. 6. cap.* Et maxime planē illius gloriam exaltat, quōd ingenio & arte omnium mortalium sapientissimi, Salomonis scilicet elaboratum fuerit. Vnde fabrica illa inter omnes, quæ in toto vniuerso erectæ sunt, maiorem gloriam consequuta est; in cuius comparatione septem mundi miracula, muri Babylonie, Egypti pyramides, Iouis, Olympii, & Dianæ templa, Carie Mausolia, Romæ amphiteatra &c. nullum fermē splendorem aut gloriam continent. Et vt huius templi inæstimabiles diuitias præteream, cūm solum thuribula ex auro purissimo confecta ad septuaginta millia pertingerent:

rent. Ex alto capite illius præstantiâ proferam, quod non ingratum fore existimo, cum sit argumentum Diui Chrysoſtomi contra Judaizantes fui temporis. Imprimis hoc excellentiſſimum templum à Salomone ædificatum ſecundum ſuperabat; quia gloria Domini, vt conſtat ex 8. cap. 3. lib. Regum, in illud deſcendebat. Cui addendum eſt id quod aliqui in lingua ſancta periti obſeruârunt, nempe Salomonis templum tantę capacitatis fuiſſe, vt intra ſe totum regnũ Iſraël caperet, & quamcũq; hominum multitudinẽ cõprehenderet, neque vnquam locus deerat, etiamſi magnus eſſet tam mulierum, quàm virorum accuſus. Secunda excellentia eſt, quia in hoc primo templo arca fœderis poſita erat, non verò in ſecundo. Vt enim ex Propheta Ieremia colligitur, arca teſtamenti in templo Salomonis fuit vſque ad tempora Nabuchodonofor, poſteà verò Propheta diuino ſpiritu illuſtratus, Chaldæorum aduentum prævidens, eam extraxit, & in culmen montis Abarim detulit, ibique iuxta ſepulchrum & corpus Moysi collocauit, vbi ſimul cum illius corpore latet. Ex quo aperte conſtat, arcam fœderis non fuiſſe in ſecundo templo, quod Princeps Zorobabel, & Eſdras cum ſociis ædificârunt. Tertia excellentia fuit, in primo enim templo omnes Sacerdotes oleo ſancto, quod in hunc finem à

ſancto Rege Dauid delatum erat, inungebantur: At in ſecundo templo ſacerdotes neque vncti, neque conſecrati erant. Quarta excellentia erat; Nam in priori templo ex propitiatorio, quod ex ſolido & puriſſimo auro conſectum erat, Deus in grauioribus & arduis negotiis, in quibus conſulebatur, reſponſum dabat. Et vocabatur propitiatorium, quia ibi orationibus ſummi ſacerdotis DEVS placabatur, & per Angelum ſummo ſacerdoti reſpondebat, vt ſuo nomine peccata populo condonaret. Hoc ergò beneficium maximum, quod Deus ſuo populo conferebat, à tempore erectionis tabernaculi, & deinde per mille annos continuatum fuit; in ſecundo templo deſuit, nunquam enim ex Dei ore aliquod reſponſum acceperunt; neque ſacerdotes, neque alii, qui illud templum frequentabant. Quinta excellentia erit, quia in primo templo ſignum apertum erat amicitię & reconciliationis diuinę; cum enim populus DEO gratus & acceptus erat, ex lapidibus pretioſis quibus ſummi ſacerdotis veſtes pulcherrimẽ exornabantur peculiaris quidam ſplendor emanabat, quo filii Iſraël iudicabant, iam ſe Deum amicum & propitium habere; in ſecundo verò templo nunquam ſimilis ſplendor emicuit. Tandem vt vno verbo concludam, omnes prædictæ

dictæ excellentiæ in posteriori templo defuerunt. Postquam verò filii Israël ex captiuitate Babylonis regressi sunt, & secundum templum ædificatum est, illi qui iuniores erant, nec prioris templi magnificentiam aspexerant, præ gaudio & exultatione gestiebant cùm sui templi maiestatem & pulchritudinem intuerentur: Seniores verò, qui Salomonis templum viderant, huius nouiter templi erecti paupertatem cõtemplantes, si cum alio conferretur, nimiam tristitiã afficiebantur, templi antiqui opulentiam, thesauros, magnificentiam & apparatus, quo Deus colebatur, in memoriam reuocantes, quia impossibile iudicabant, quod hoc templum ad prioris gloriam & supremam maiestatem reduci posset, ided animis deficiebant, & nimio mærore deiciebantur, cùm sui Dei cultum, & templum ad inferiorem statum deuenisse animaduertent, suprema tamẽ Diuina Maiestas consolabatur illos per Prophetam Aggæum his verbis. *Ad huc vnum modicum est, & ego commouebo cælum & terram, & mare, & aridam. Et mouebo omnes gentes: ET VENIET DESIDERATVS cunctis gentibus; Et implebo domum istam gloria. Magna erit gloria domus istius novissima plusquam prima; Et in loco isto dabo pacem. capite 2.* Ac si diceret. Nonnẽ excellentias, quibus primum templum à Sa-

lomone erectum, secundum excellere videtur? Diligenter animaduertistis, ego tamen hoc secundum ita illustrabo, vt in gloria, magnificentia & apparatu aliud longè antecellat, nolite animũ vestrũ nimiam tristitiã deicere. *Magna erit gloria domus istius novissima, plusquã prima; Templum enĩ à Salomone ædificatũ umbra tantum & figura erit domus istius novissima, à Principe Zorobabel & Esdra elaborata. Hodiẽ hæc promissio diuina impleta est, cùm Beatissima Virgo dulcissimum Iesum in templum infert, & excellentiæ antiqui templi Salomonis, hodiernã luce deuincuntur ac superantur. Quia si gloria Domini in Salomonis templum descendebat, & peculiari quodam miraculo illud intra se omnes tribus Israël cõprehendere & cõtinere poterat, hĩc in secundo templo, & in brachiis Mariæ sanctissime ipsa Dei gloria personaliter inuenitur, Verbum nempe Diuinum, quod Apostolus Paulus splendorem gloriæ appellat. *Qui cùm sit splendor gloriæ. Heb. 1.* Et Propheta Dauid Regẽ gloriæ nuncupauit. *Quis est iste Rex gloriæ? Psalm. 23.* In quo mirabiliora manifestat Deus, quã in antiquo templo Salomonis, etiãsi omnes totius vniversi creaturas caperet, quia, vt inquit Esaias. *Omnes gentes quasi non sint, existunt coram illo. cap. 40.* Et si in priori templo arca testamenti tribus illis reliquiis exornata reposita erat;*

taerat; In hoc secundo vera fæderis arca, cuius altera tantùm umbra & figura erat, reperitur, præstantioribus reliquiis decorata. Nam in se realiter continet diuinæ virtutis virgam tantę virtutis & efficaciz, vt totum hominum genus à dura dæmonis seruitute liberare possit; continet etiam cæleste manna, panem viuum ac vitalem, omnium ciborum saporem & substantiam retinens, vt S. Fræciscus cum Deo colloquens dicere solebat. *Deus meus & omnia.* Tandem hæc verissima fæderis arca cistam diuinis thesauris refertam continet, & in templum infert, Verbū, inquā, Diuinum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, & non præcisè legis tabulæ, sed ipse legislator, qui leges condidit, & proprio digito scripsit, ac pretiosissimo sanguine firmavit & stabiliiuit. Habet etiam hoc secundum templum tertiam alterius excellentiam, & in superiori & eminentiori gradu: Si enim in templo Salomonis sacerdotes oleo sancto vngebantur, hodiè Christus Dominus supremus Rex, & Sacerdos æternus secundum ordinem Melchisedech, Spiritus Diuini gratiã vnctus, hoc secundum templum ingreditur, idem enim significat Christus, atque Spiritus Diuini gratiã vnctus, de quo dixit Propheta psal. 44. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo latitiæ &c.* Et ex hac Christi appellatione filii Ecclesiæ gloriosissimum christiano-

rum titulum vsurpant, quo nullus neq; in cælo, neq; in terra, excellentior excogitari potest. Sed jam quid de quarta excellentia proferā, de respōsis videlicet & oraculis, quæ in aureo propitiatorio, quo antiqui testamēti arca operiebatur, filiis Israhel conferri solebant? Ista enim silentio præteriri nō possunt, si mysteriū hodiernæ festiuitatis oculis fidei attentè conspiciamus, cū in hoc templo Zorobabel simul inueniantur vera arca fæderis, quæ est Maria sanctissima, & aureum propitiatoriū, quod est Christus Dominus, de quo Euangelista Ioannes cap. 2. expressè asserit. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Estquè propitiatorium aureum propter diuinitatem, quam aurum demonstrat, vt sponsa indicat loquens de sui sponsi capite. *Caput illius aurum optimum. Cant. 5.* Advertamus modò diligenter huius veri propitiatorii respōsa, talia enim & tam admiranda fuerūt, vt S. Lucas dicat, omnium animos in maximam admirationem rapuisse, quia diuinā sapientiā & veritate referta erant. Imò si Theologicè loquendum est, ipsum verum propitiatorium, erat etiam diuinum respōsum, quo Deus sua secreta nobis in tēpore manifestauit, vt inquit S. Paulus: *Nonisimè loquutus est nobis in Filio. Heb. 1.* Per quem ad omnia petita & interrogata sapientissimè respōdit, cuius doctrinam ex mandato Dei audire & auscultare tenemur.

*Ipsius*

*Ipsam audite. Ioann. 1. quia est æterni Patris viux vocis oraculū, per quod & Spiritum Sanctum omnem veritatem edocuit. Ille vos docebit omnem veritatem. Ioan. 14. Cap. Quinto & vltimo quodd ad fulgentem splendorem summi Sacerdotis attinet, cum pretiosi lapides, quibus illius vestes elaboratæ erant, insignū diuinæ reconciliationis splendidissimè micabāt, nulla potest esse comparatio inter antiquum Salomonis templū & secundum nouiter ædificatum, cum ipse splendor gloriæ Christus Saluator noster in ipso fuerit, vt leges purificationis impleter, quem cum primū iustus Simeon aspexit, lumen gentium appellauit. Lumen ad revelationē gentium. Et Malachias solem splendidissimum vocat. Orietur vobis timentibus nomen meū sol iustitiæ Cap. 4. Quod si in vestes & faciē illius in monte thabor trāfigurati mentis aciem conuertamus, nihil nisi micatē splendore intuebimur. Splenduit facies eius sicut sol. Matt. 17. Hac igitur iucundissima die, quā B. Virgo suum filium in templum intulit, vt eum à sacerdote redimeret, templum Sanctum Ierusalem nouiter ædificatum, infinito quodam excessu antiquum Salomonis templum, diuitiis, gloriā, magnificentiā & apparatu superauit, & consequenter diuina promissa fidelissimè impleta fuerunt. Quæ cum ita sint, ad Evangelij literam propiūs ac-*

*cedamus. Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ &c. Quare solus Lucas ætatem Christi computat hoc in præsentī Evangelio, & in circumsione. Postquam dies octo &c & post apparitionem in templo, sic scribit. Cum esset annorū duodecim Luc. 2. Et in baptismo. Cum esset triginta annorum. Luc. 3. Pro huius intelligentia notandum est, quod sanctus Evangelista Lucas significatur per vitulum, qui olim offerebatur in sacrificium, & sic in suo Evangelio à principio vsque in finem de sacerdote Christi agit, à templo suum Evangelium exordiens. Cum esset Zacharias in tēplo. cap. 1 Et tādē sic absoluit Erant in tēplo semper laudātes. Notatu tamen dignissimum est, quodd nostri Saluatoris Sacerdotium alia excelluit; Quia Christus Redemptor noster simul fuit Sacerdos & hostia, vt constat ad Galatas. 2. Qui dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me. Et ad Ephesios Cap. 5. Tradidit semetipsum pronobis oblationē & hostiam Deo in odorem suauitatis. Et si diligenter sacram scripturā evoluere velimus, apertē inueniemus, non de quocunque sacrificio dici illud oblatum esse Deo in odorem suauitatis, idē nī soli holocausto attribuitur, quod totū comburebatur & cōsumebatur in odorem ac honorem Dei; Idē dicitur de Christo traditum fuisse pronobis, & oblatum Patri Diuino in odorem suauitatis; quia totum vsque*

Ee

ad

ad mortem tanquam holocaustum Deo obtulit, & hæc etiam est causa, quare in cruce, quâdo vltimū Spiritū exhalauit, illa mystertosa verba protulit, *Consumatum est*. Quibus indicauit se totum per omnes actiones vsque ad turpissimam mortem immolatum fuisse. Verūm, quanam ratione se morti subiecit, vt per modum holocausti pro nostra reconciliatione Patri æterno offerretur? Noluit planè morti violenter illata seipsū subicere, sed mortē quasi naturalem propriā voluntate acceptatam, per dies, menses & annos, vsq; ad virilitatem diuisam passus est: Ided Evangelista Lucas illius dies in præsentī Evangelio enumerat. *Postquam impleti sunt dies*; vt constaret illius mortem nō ex arbitrio & beneplacito hominum, sed illius voluntate à pueritia electam fuisse, Christus Saluator noster, & verus Sacerdos in hunc mundum advenit, vt in sacrificium & holocaustum Deo pro nostris peccatis offerretur, noluit tamen, vt sua passio & mors ex hominum beneplacito penderet, vt patet in phariseis, qui sepius illius mortem tentârunt, nunquam tamen, vsque ad tempus ab ipso & æterno Patre destinatum, exequenti sunt; sed eam, annorum, ætatum & temporum diversitatū subicere voluit, ut hac ratione quoscunque homines ad sui amorem magis magisque alliceret, & fortius adstringeret.

Hoc Sanctus Augustinus libr. de peccatorū meritis & reminiscencia his verbis notauit, *Christus nasci voluit subiectus temporum mutationi, vt ad mortem veniret illa caro senescendo, venire enim non posset, si iuuenis non fuisset &c. vt sic morte suâ mundū redimeret*. Voluit ergo noster Saluator suam passionem temporum mutatione metiri, vt ipsa tempora suam vitam paulatim cōlumerent. Qudd acutè tetigisse videtur Sanctus Lucas, cūm dicit, *Postquam impleti sunt dies &c.* Vbi infantis ætatem enumerat, vt constet illius dies, etiam si æternus sit, numerari, ætatem labi, ac tandem ad mortem ex Patris obedientia, & propter hominum redemptionem properare. Et addit Sanctus Doctor libr. 13. de Ciuitate Dei, cap. 20. quodd tempore, à quo viuere incipimus, ipsa mors in nostram vitam nouum ius & possessionem accipit, vt colligitur ex illo Gen. cap. 2. *In quocunq; die comederis, morte morieris*; in eodem enim puncto, quo nostri primi parentes ex arbore uetita comederunt, mors illorum uitæ momenta mensurauit, ac suam iurisdictionem in omnes mortales extendit; ided statim atque homines viuere incipiunt, ad mortem etiam concitato cursu properant, & dum magis viuunt, citius ad mortem appropinquāt. Vt ergo Sanctus Evangelista Lucas significaret ac intimaret nobis omnibus quod

quod Christus non solum venit, ut in sacrificium offerretur, sed etiam, ut singulis diebus aliquam suae vitae partem amittens, ad mortem pro nostra salute subeundam properaret, ideò dulcissimi infantis dies in Evangelio enumeravit, consequenter etiam insinuavit, quo desiderio noster Saluator remedium & libertatem hominum exoptavit, cum nec longum vitae terminum, nec grandæviam aetatem expectet, ut pro hominum salute moriatur; sed potius ab ineunte aetate mori incipiat, & in ipsa primæ natiuitatis Dei, quâ in Bethlehem natus est, suae vitae dies velocissimè prætereant, & ad finem vitae properent, in quo desideria nostri Redemptoris apertis indicis manifestantur, vellet enim pro nobis statim mori, ut illa verba Lucæ indicant. *Baptisimo habeo baptizari & quomodo confingor, donec perficiatur? cap. 12.* Ideò non expectavit mortem post lögam vitam transactâ, sed in ipso suae aetatis ac sanctæ juventutis flore pro peccatoribus occubuit. Quod insinuatur in titulo psalmi 21. *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? Qui sic inferibitur. In finem pro susceptione marutina.* In alia versione sic legitur. *In finem pro cerva marutina, vel aurora.* In prædicto psalmo agit Propheta Sanctus de Christi morte & passione, & juxta versionem allatam, compositus fuit pro cerva matutina, Cervus est animal

ita sincerum, ut etiam si venator eum aspiciat, qui contra eum sagittam emittit, non propterea statim fugit, sed diu expectat quasi sibi persuadens, nullum esse, qui contra se aliquid tentet: Ita in redemptione generis humani nostro Salvatore contigisse videtur, cum enim Pater æternus suæ iræ arcum propter nostra scelera contra ipsum extendens, cruci affixisset, Christus tamen, ac si nihil in suam personam fieret, sic Patrem Diuinum affatus est. *Deus Deus meo respice in me, quare me dereliquisti?* Præterea cervus nunquam febre laborat, quin potius illius carnes à febre liberant & præservant: Ita etiam solus Christus febrem concupiscentiæ pati non potuit, & sola ipsius caro ab omni peccati febre libera extirpit. Deinde cervus natiuo quodâ odio ac intestino bello in serpentes inuehitur: Sic Christus dæmonem serpentem antiquum maximo odio prosequutus est; unde in Genesi, vbi legitur, *Ipsa conteret caput tuum, capite. 3.* Alii sic legunt. *Ipsa conteret caput tuum;* ad denotandum maximum Christi odium erga dæmonem, qui ibi nomine serpentis significatur. Tandem, ut ad nostrum scopum propius accedam, cervus, cum in ætate à venatore vulneratur, & canes eum insequantur, ardoribus solis exustus, & nimia defagitatione confectus, summam aviditatem fœtes aquarum desiderat, ut calorem & sitim extinguat, & refrigerium aliquo experiatur;

E e 2 mirum

mirum tamen esset si cervus primo mane, cum nec sol viget, nec continuâ cursitatione membra incensa sunt, crystallinæ aquæ fontem appeteret, hoc planè maximam illius sitim indicaret. Talem ergò sitim, charissimi auditores, Christus Redemptor noster pro salute nostra perpessus est, quia antequam cervus iste divinus à canibus vexaretur. *Circum-dederunt me canes multi. Psalm 21.* et à venatoribus ac persecutorib⁹ infidias pateretur, & antequâ jaculatorium arcum sibi imminentem conspiceret, & à solis ardoribus incenderetur, tam ardentissimo moriendi amore diuinum illud pectus æstuebat, & ita sitiebat, quòd lingua iam faucibus adhaereret, vt ipse testatur. *Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhaesit faucibus meis. Psal. 21.* Mirandum sanè est, quòd Christus Saluator noster primo suæ vitæ diluculo mortem eligat, & viuendo paulatim moriatur; Hoc maximum nostræ redemptionis desiderium demonstrat, quod vt indicaret Euangelista, dies, & horas ac momenta vitæ eius designat, vt animaduertamus, quòd eo modo, quo tempora & dies Christi labuntur, ipsa etiam vita ad mortem pro nostra reparatione concitato cursu properat. Sed quomodo, charissimi auditores, tantum nostri Saluatoris amorem dignè persoluemus, ac gratis beneficiis compensabimus? amor tam immensus non

alio quàm mutuo amore compensabitur; *Magnes amoris amor.* Miseria tamen nostrorum temporum declamanda & deploranda est, homines enim grati animi officia ingratitude persolvunt, nec vindictam diuinam pertimescunt, vt in Saule erga Dauidem compertum fuit, *Humiliabit illos, qui est ante sacula. Non enim est illis commutatio, & non timuerunt Deum. Psalm 54.* Loquitur hic Propheta sanctus de ingratitude Saulis, & dicit. *Non enim est illis commutatio.* Id est, pro beneficiis acceptis retributio. Meritò conqueritur David de Saulis ingratitude, quia cum sepiùs vitam suam pro illo, & suis exposuisset: primò, cum in iuuentute gigantem prostrauit ac decapitauit; secundò, cum in variis occasionibus contra Philistæos maximo suæ vitæ periculo pro ipso bellum gessit, deindè cum eius vitæ pepercit, cum aliàs ipsum, habità etiam licentiâ Dei, vt aliqui sanctorum Patrum affirmant, interficere potuisset, tam ingratas tamen pro acceptis beneficiis extitit, vt diebus ac noctibus ipsum insequeretur, ita vt David fugitivus, & extra propriam patriam exul inter feras & syluestria animalia moraretur, idèd dicit. *Non est illis commutatio.* Maiora beneficia verus David hominibus contulit, quia non solùm se periculo vitæ exposuit, sed de facto pro nostra salute, vt nos vitam haberemus, turpissimam mortem passus est; *Non est illis*

illis commutatio, & non timuerunt Deum. Peccatores tamen tantum beneficium animi ingratitude rependunt, imò singulis diebus suum benefactorem offendunt. Hodie sua scelera fatentur, sequenti verò die in eadem & grauiora prolabantur, vt alter Saul, qui sæpiùs cum Dauide amicitiam contraxit, postea verò in illum vehemètiùs insurrexit. Timenda tamen est vindicta diuina, forsitan eisdem suppliciiis, quibus Saul, in alio sæculo punientur. *Humiliauit illos, qui est ante secula.* Idèd beneficiis diuinis, quæ singulis momentis experimur, gratitudine animi, sanctè & piè viuendo occurramus, vt in hac vita gratiâ & familiaritate diuinâ participes effecti, gloriâ etiam in alia nunquam interitura vita perfruemur, quam mihi & vobis præstare dignetur IESUS CHRISTUS, Amen.



M O R A L I S  
Discursus eiusdem  
festiuitatis.

Postquam impleti sunt dies purgationis Maria, secundum legem Moysi, tulerunt Iesum in Ierusalem, vt steterent eum Domino, sicut scriptum

est in lege Domini. Luc. 2. cap. Hodierne purificationis exemplo, charissimi filii, inanis huius sæculi gloria, honor, pompa, vani atque falsi tituli funditùs euertuntur. Diuersâ planè viâ atquè nos Maria sanctissima, & eius Filius sacratissimus incedunt, & diuersum modum agendi seruant. Nos enim cùm peccatores esse velimus, nolumus tamen inter peccatores annumerari, nec tales apparere, dulcissimus Iesus & eius sanctissima mater peccatores quidem esse nolunt, volunt tamen inter peccatores computari, neq; vt tales comparere dedignantur. Dulcissimus enim Iesus post octo dies legibus circumcisionis, quæ signum erat peccatorum, se subiecit; & Beatissima Maria leges purificationis, quæ pro immundis late erant, fidelissimè impleuit, cùm aliàs sine corruptione ac immunditia omni peperisset, in puritate solem, & vniuersas firmamenti stellas longè antecellens. In puritate ergò & vitæ nitore talem matrem & Filium imitemini: & pudeat vos, quòd tam sordidi & abominabiles peccatores sitis, saltim ita peccata effugiatis, sicut ipsam peccatorum effigiem detestamini: maiori odio peccatum, quàm infernum prosequi tenemur, cùm omnia inferni tormenta in malitia & grauitate excedat, & potius mors acerbissima, quàm offensa contra Deum, qui est infinitum & immensum bonum, eligenda & amplecten-